

Eudes, comte de Blois, de Tours, de Chartres, de Troyes et de Meaux (995 - 1037) et Thibaud, son frère (995-1004). Pièces justificatives., Nr. 21

Anno MXXXIII ab Incarnatione Domini, Odo comes, in diem tertium Pasche, quo die statio episcopalis apud Sanctum Julianum agitur, cum Arnulfo archiepiscopo ad monasterium Sancti Juliani, cum multis obtimatibus, venit, ibique a monachis et abbate Richerio honorifice susceptus, in capitulum Sancti Juliani est conductus accepitque societatem loci. Ipso uxorque ejus Ermengardis ac filii ejus, ob recompensationem memoriamque date sibi societatis, per deprecationem Wanilonis thesaurarii, qui de ipso tenebat, concessit Sancto Juliano et monachis ejus boscum Rareti perpetualiter adhabendum ad omnes focos omnium officinarum monasterii enutriendos, et ad monasterium cooperiendum, et ad omnes officinas ipsius ecclesie construendas, et ad vineas suas faciendas et claudendas, et ad omnia sua opera, sine forestagio et requisitione alterius consuetudines. Concessit etiam, in eodem capitulo, Sancto Juliano et monachis ejus perpetualiter percursum et pascuaria ejusdem silve ad CCC porcos saginandos, omni tempore, sine pasnatico et alia ulla consuetudine. Plures porcos si mittere vellent, hoc a dominis silve et a forestariis exigent. Hec omnia concessit Sancto Juliano et monachis suis pro salute anime sue uxorisque ac filiorum suorum, Tetbaldi ac Stefani. Petiit etiam ut quo die moreretur, nomen ejus inter nomina fratrum scriberetur et memoria ejus ageretur. Quod monachi fideliter devoteque concesserunt.

Signum Odonis comitis.

Testes hujus rei: Arnulfus archiepiscopus. Guanilo thesaurarius. Eblo. Johannes Pauper, Gaufridus, vicecomes Dunensium. Arduinus vicecomes. Ilduinus, comes de Ramelu. Guarinus Male Corone. Otgerius, filius Otgerii. Burcardus, frater ejus.

De hominibus Sancti: Bernardus elericus. Gauzbertus. Rainaldus Bornus. Durandus. Gauzcelinus. Rainerius. Rainaldus monachus. Rainaldus Cancellis. Girardus. Petrus Valens.

Acta sunt hec Turonus, in capitulum Sancti Juliani, regnante Heinricho rege anno III.